

Dei) librum composuit, quem de tribus substantiis inscripsit; famblens (*in lib. de myster.*), et Proclus (*in lib. de an.*) tres in Deo substantias, quae melius personae vocantur, esse dixerunt. De magno illo Orpheo referunt historici, dixisse tribus modum gubernari: *Luce, consilio, et vita*; quae epitheta, sive attributa, mirabiliter tribus divinis personis conveniunt: Pater enim est lux, de illo enim dixit d. Iacobus (c. 1): *Omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum.* Consilium est Filius, cui attribuitur sapientia; et ideo ab Isaia (c. 9) vocatur: *Magni consilii Angelus.* Vita denique Spiritus sanctus est, quod fatetur Concilium Nicaenum (*in Symbolo*): *Credo in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, etc.* Ab Indis novam Hispaniam incolentibus, antequam eis Hispana gens nostra lumen evangelicae veritatis inferret, Senem venerabilem, et coram illo adolescentem, et inter ambos ignem positum adorari, recentiores scriptores narrarunt, quibus imaginibus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui utriusque flagrans amor est, a barbaris illi gentibus significabantur. Secundum testimonium sanctorum Patrum atque Doctorum sit, qui variis comparationibus, et exemplis caliginem nostrae mentis illustrare conati sunt, ut facilius huic mysterio fidem, et assensum praestarent. D. Augustinus de Trinitate loquens duobus utitur locis, et scientiae comparationibus: quemadmodum, inquit, sol, qui unus est, triplicem habet lucem, unam in se, alteram a se procedentem, qua aer proprium lucis subiectum illuminatur, tertiam, quae ab utraque exit, illuminans obiectum, quod cernitur: vel ut brevius dicam, sicut a sole lux, a luce splendor, et ab utroque calor exoritur; sic a Patre Filius, ut scriptum est, qui cum sit splendor Patris, et ab utroque calor, qui Spiritus sanctus est, producit. Altera similitudo sumitur a scientia, quam quis discit a se ipso, alio non indicante; illam tamen alteri communicat, et mox uterque alii, quae tamen communicata tribus, una et eadem quiddam scientiae est, et unum scientiae obiectum, a tribus tamen cognitur. Eusebius (*lib. 5. de*

*Symb.*) trium faecularum utitur similitudine, quae si iungantur, accessae non tres flammam, sed unam referunt; nec tamen una fax, sed tres faeces existunt. S. Andreas Cretensis (*orat. de Trin.*) Trinitatis mysterium declarat adducta similitudine puellae se ad speculum intuentis, quae visam in speculo imaginem suam amat, ut poetae de Narciso fabulantur, qui se in fonte prospiciens sui ipsius amore deperit. Hinc ergo fratres aliquid percipere de tam sublimi mysterio poteritis, nam Pater aeternus seipsum in purissimo suae substantiae speculo intuitus perfectissimam impressit imaginem, hoc est Filium, quem Paulus (*ad Hebr. 1*) figuram substantiae eius nominat, cuius agnoscens summam, et aequalem sibi pulchritudinem summe quoque illam dilexit, quae dilectio Spiritus sanctus est ab utroque procedens. Sanctus Anselmus (*in Epist. de incarn. Verbi*), et sanctus Cyprianus (*in Symb. Apostol.*) Trinitatis arcanum aiunt esse simile aquae perenni, quae a fonte derivatur in fluvium, et mox in lacum prolapsa non progreditur longius, quae tamen per continuationem fluxus una existens, locorum tamen diversitate, fontis, fluvii, et lacus distinguitur. Concilium etiam Nicaenum eadem utitur comparatione. Fons est Pater, de quo scribitur: *Apud te est fons vitae*: fluvius a fonte derivatus Filius est, ipse enim de se dixit (*Eccles. 24*): *Ego quasi fluvius exivi de Paradiso.* Lacus figura est Spiritus sancti, nam quemadmodum in lacu omnia aquae vis, et copia quiescit ac permanet, ita divinae naturae communicationes in Spiritu sancto terminantur, nec ad quartam personam progrediuntur. Verum ne ab hoc simili recedamus, sicut quilibet flosculus, aut quidpiam aliud in fontem cadens rapitur in fluvium a fonte profluentem, et a fluvio in lacum perducitur; ita quaecumque essentialis perfectio, quae in Patre est, derivatur in Filium, et a Patre, et Filio in Spiritum sanctum emanat, ut professus est Athanasius (*in Symbol. Fidei*): *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus*; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

DE INEFFABILI  
INCARNATIONIS VERBI DIVINI

ARCANO

LIBER SECUNDUS

HOMILIA PRIMA

Quam difficilis sit tam absconditi mysterii tractatio et explicatio.

Magnarum est ea natura rerum, ut quo diligentius et attentius illas contemplantur, eo vehementius suam ostentent magnitudinem, et efflant sublimitatem. Unde maiores nostri, et Ecclesiae doctores, qui in huius meditatione mysterii frequentes plurimum, ac diligentes fuerunt, excellentiam illius, et tractationis difficultatem praesefere, et admirari non desunt. Hinc Dionysius Areopagita (c. 2. de div. nomin.) Incarnationem divini Verbi non solum hominibus ignotam, sed ipsis quoque supremis spiritibus occultam, et omni intelligentia maiorem testatur his verbis: *Iesu in carne apparitio ineffabilis est sermone, et omni ignota intelligentiae, ipsi quoque antiquissimorum angelorum non satis perspecta.* D. Hieronymus (*in serm. de Assump. tom. 4*) non minus elegantem quam docte universam naturam ad tanti mysterii altitudinem et maiestatem obstupescere inquit: *Quod natura non habet, usus nescivit, ignorat ratio, mens non concepit humana, patet coelum, stupet terra, creatura etiam coelestis miratur, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariae pronuntitur, et per Spiritum sanctum adimpletur.* S. Ambrosius (*lib. de fide ad Grat. c. 3*), non modo concepi mente, sed nec verbis exprimi humanis, vel angelis posse tam occultum mysterium ita fatetur: *Mihi quidem impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et angelorum.* S. Iustinus (*lib. de conf. Trinit.*) de Trinitate loquens: *Non pudebit, inquit, me faceri huius unitiois ignorantiam habere, immo gloriabor potius quod credam arcana, quae nec ratio, nec mens valet percipere.* Cui consonant verba disertissimi Leonis Romani Pontificis, dum (*serm. de Pass. Dom.*) ita prosequitur: *Gau-*

*dentum nobis potius, quam erubescendum, quod tanta superamus materiae dignitate.* Lacteus ille Bernardus huius admiratus mysterii dignitatem, et profunditatem, inquit (*ser. 2. huius mysterii*): *Abyssus imperstrabilis est, et in quo hauriam, non est mihi: alta profunditas, ait Salomon (Eccl. 17), quis inveniet eam? et alibi, fieri nequaquam posse, ut noster intellectus exacte, ac plene magnitudinem summamque sublimitatem incarnati Verbi concepat, in hunc modum edisserit: Nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest, quid boni ad gratiam, quid congruentiae ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid comodi ad salutem penes se ipsam continet huius venerandi mysterii inscrutabilis altitudo.* Cyrillus Alexandrinus silentio magis Incarnationis secretum, et aenigma adorandum, quam ullis verbis declarandum esse dicit: *Aenigma sacratissimum, quod summa potius veneratione suscipiendum est, quod humani iudicii trutiniae subiciendum non est: vere difficillimum est sanctissimae Trinitatis arcanum, aliquid tamen in illo, unitatem nempe divinae naturae ratio naturalis assequitur, Incarnationis autem naturam, praeterquam humanae mentis captum infuilo superat intervallo, aliquid illius in rebus creatis vestigium non cernitur, cuius iudicio in tam invisibilis arcani notitiam deducamur.* Vas electionis Paulus (*ad Rom. c. 9*) scribens: *Verbum, ait, abbreviatum fecit Deus super terram; quo loquendi genere mihi videtur Apostolus praesentis mysterii declarasse difficultatem: nam etsi abbreviations, seu notae singulos characteres optime noveris, si pariter occultam illorum vim et significationem intelligas, vana multa concipies, et in sententias a compendii scopo prorsus alienas feraris necesse est.* Propter hanc igitur tam difficilem huius arcani notitiam, ut ipse non semel amivadverti, Evangelista Ioannes, qui tam graviter et disertè de natura divina, et personarum distinctione locutus fuerat, cum ad divini Verbi accessit explanationem, non eloqui ut antea, sed re-

pente obmutescere videtur, quippe universam Incarnationis historiam non longa verborum serie, non discreto sermone, sed trimum tantum verborum brevitate conclusit, dicens (*Joan. 1*): *Et Verbum caro factum est*. Sententiarum Magister (*ibid. lib. 3. dist. 2*), iuxta Augustini explanationem illa Ioannis verba declarat, quibus se praedieaverat indignum et corrigiam calcemanti Iesu solveret, intelligenda de inno hypostatica censet: ibi enim mirabili modo, et inexplicabili coniunctionis vinculo natura humana cum divini Verbi supposito copulata fuit. Ad cuius investigationem et declarationem Ioannes, licet ab utero sanctificatus, se nec dignum, nec idoneum esse proficitur. Nec absolum est, si credamus, ad hanc tam excelsi arcani significandam obscuritatem, ipsum lucis auctorem lumine nocturno tempore nasci, ut inde conficere possemus, non ad nostrae rationis lumen, sed ad fidei speculum et lucem subalternam, factum esse credendum et adorandum sacramentum. Nec solum in Ioanne hanc incarnati Verbi arduum intelligentiam contemplatum sum, sed in ipso quoque Theologorum principe, ac duce Paulo miratus, qui peculiari Dei munere sibi dicit fuisse concessum, ut Incarnationis mysterium a sacerdotibus absconditum, in quo coelestium bonorum omnis thesaurus aet, gentibus praedicaret: ait enim (*ad Ephes. 3*): *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hanc in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a sacerdotibus*. Sed mirabilis est quod addit, angelis id non fuisse notum, donec praedicatione sua principibus coeli et potestatibus innotuit: *Ut innotescat, inquit, principibus et potestatibus coelestibus, per ecclesiam multiforum sapientia Dei*. Quod licet de innotescantia quoad circumstantias incarnationis nonnulli doctores explicant, plerique tamen Patres id interpretantur de innotescantia quoad substantiam: ita d. Chrysostomus (*prolog. in Ioann. et super Epist. ad Ephes. cap. 3*), d. Hieronymus (*lib. 2. in Epist. ad Ephes.*), Origenes (*hom. in Luc. 23*), Theodoretus (*in immutabili*), quos ad id refert, et sequitur Sixtus Senen. (*lib. 6. annot. 165*), et est communis apud Patres Graecos, et Magister sententiarum (*dist. 2*), beatus Angelus (*in exposit. Symb. lib. 8. c. 13*): idem etiam docent multi alii Patres (*super illud Isaiae cap. 63*): *Quis est iste qui venit de Edom?* et illud (*Psal. 23*): *Quis est iste Rex gloriae?* Hi sunt Dionysius (*cap. 7. coel. Hierar.*), Iustinus martyr (*in triple. pag. 77*), Ambrosius (*lib. 4. de inuit. Virgin. cap. 3*), et (*lib. 4. de fide ad Grat. et lib. de his, qui innotuit*), Hieronymus (*super Ezech. 3*), ubi etiam Sedulius et Arnobius, Orig. (*Math. 13*), in illa verba: *Cum intrasset Iesus Hierosolymam*, d. Bernar. (*epist. 77*), Alexander Aletius (*2. par. q. 26. memb. 1*), Sixtus Senensis (*lib. 6. annot. 299*): quae omnia perspicua sunt argumenta caliginis, qua undique obtegitur hoc arcanum, siquidem non modo mortales, sed immortales illi et sapientissimi spiritus hanc Dei multiforum sapientiam, donec per Ecclesiam, Paulo praedicante, patuit, non assequerantur. Illa vero notitia non la-

hore ab Apostolo comparata, non studio quaesita, sed gratiae munere infusa, et Christi largitate inventa, et ut ille loquitur, per revelationem Iesu Christi fuit. Huc respicit quod apud Hieremiam (*c. 33*) legitimus, cui Dominus hoc mysterium aperiens, nullo id nomine expressit, sed tantum dixit: *Haec dicit Dominus qui facturus est, et formaturus illud*. Cur quaeso Domine rei quam facturus es, nomen non explicas? numquid si nomine caret, illud qui omnia nosti, non potes imponere? Nam si, ut scriptum est (*Gen. 2*): *Omne quod vocavit Adam, ipsum est nomen eius*, nullo sapientius ac divinius per te, qui summa sapientia es, quidquid facere intendas, proprio nomine vocabitur. At certe eo spectabat divini consilii ratio, ut sacramentum Incarnationis, sicut incomprehensibile, ita etiam ineffabile monstraretur, et ideo nullo nomine illud explicat.

Ad haec, tametsi omnia Fidei catholicae arcana humano ingenio sint occulta, quorundam tamen consequitur possibilitatem. Nam arcanum quidem Fidei est, accidentia panis et vini in sacramento Eucharistiae carere subiecto, cuius tamen possibilitatem antiqui philosophi non negarent, cum fuerint nonnulli, qui separatim dimensiones admiserint. Obscurum est resurrectionis mysterium, in quo iam defuncta corpora vitam recuperatura decemur, id tamen fieri posse lumine naturae cognoscimus: nam si Deus ex nihilo facere aliquid potest, quod in animae creatione praestat, et animam poterit extinctum hominem materia prima, et anima praesistente ad spiritum et vitam revocare. At sacratissimum Incarnationis arcanum ita latet, ut universa naturae facultas quomodo id fieri possit, intelligere nequeat; unde faciliorem esse Dei cognitionem, quam huius ineffabilis sacramenti notitiam, dicere non immerito possemus. Multa enim vera quae ad Dei spectant naturam, cum hominis ratio conticet, teste Paulo (*ad Rom. 1*): *Invisibilia Dei a creatura mundi intellecta conspiciuntur*, ita tamen vestigia in hoc assumptae humanitatis arcana ita deficiunt, ut nulla sint in rerum universitate argumenta, nullae imagines, nulla indicia, quibus ad peringendum factum mysterium nostra cognitio valeat convinci. Nam res create, quae suum testantur auctorem, ut de coelis dixit David (*Psal. 18*): *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiant firmamentum*, in huius agnitione mysterii non modo balbutiunt, sed obmutescunt; immo quaedam magis nos ab illius cognitione abducere, quam ad illum dirigere videntur: nam quot sunt naturae integre substantiales, tot illis respondere hypostases lumen naturale dicit; supernaturalis autem Fidei, unicum Verbi divini hypostasim naturam duplicem suppositare nos edocet: illud ergo magis abducit quam dirigit. Experimento decemur periculosus esse oceanus freta pervadere, quam eiusdem transare sinus altissimos; ibi enim naufragium non ita frequens, et rarior tempestas exoritur: ast cum syrtis, aut maris angustias ingredimur, tunc maris aestus certior, Scylla et Charybdis periculosior, et collisi fluctus, compressiveque in brevia undarum vortex, non solum me-

tum, sed mortem intendant. Non aliter in hac abbreviati Verbi cognitione nostro accidit intellectui: ille namque dum per medium divinitatis oceanum vela pandit, securus procellae, lumine naturae ductus non pauca cognoscit; at si divinitatis eandem immensitatem, et pe-lagum insulsum, intra alvum Virginis Verbum inclusum, et ut dixit Paulus (*ad Rom. 9*), *Abbre-ciatum*, cognoscere tentet, discrimen illic certum, error periculosus, et miserabile mentis nostrae naufragium adest, nisi fidei anchora firmet animum fluctuantem. Eapropter expositum magis, et facilius arbitror Trinitatis mysterium, quam Incarnationis arcanum posse mortalibus snaderi: illud enim Dei naturae conveniens, et necessarium est, Verbi autem Incarnationis libera, et contingens habetur. Cognitio vero nostra, teste Aristotele (*1. poster.*), rebus necessariis magis quam contingentibus acquiescit, cum de contingentibus scientia haberi non possit, praesertim si ab alterius voluntate dependeat. Praeterea nullus de Deo nisi magna omnia, et mirabilia concipit: unde quidquid de Trinitatis mysterio dicitur, quantumvis excelsum, quantumvis admirabile, et insulsum, Dei naturae convenire facile suadet; at Deum fieri hominem non ita facile mens capit humanam; id enim tantam videtur significare miserram; ut merito Aristoteles hominem describens dixerit: *Homo est imbecillitatis exemplum, temporis spoliun, fortunae lus, inconstantiae imago, miseriae et calamitatis tridina, reliquum vero pitula et blis*. Haec igitur, et alia nequamquam Deo magnitudinem, et excellentiam decere hominis ratio pendens, difficile credit aliquo cum modo tantis posse incommodis subiacere. Ac tandem obscurius saae Incarnationis arcanum appareat, considerandum conceptum de Spiritu sancto Filium aeternum, hoc est Spiritus sancti virtute et cooperatione in utero Virginis formatum: non enim Dei Filium hominem factum potest quis intelligere, quin Patrem esse, a quo fuit aeternae genitus, et Spiritum sanctum, de quo conceptus fuit, pariter agnoscat. At licet Trinitatis habeatur notitia, non inde et incarnati Verbi necesse est habere intelligentiam: unde liquide constat, atque magis esse hoc quam illud pertractare mysterium.

Huius eximiae difficultatis extant in sacra pagina figurae aliquae, obscurae tamen et aenigmatae, inter quas praesertim tres excellent. Prima illarum est Eisel, puerum a mortuis excitantem, qui tam inusitatum opus effecturus clausit ostium post se, atque ita seipsum puero aequandem contraxit, ut oculis oculis, os ori, manibus manibus, ac pedes pedibus componeret. Quo in re si forsitan aliquis interroget, quomodo in se fieri proceritas cum parvitate pueri aequari poterit, meam ingenue fatebor ignorantiam, quoniam, ut ait sacra pagina, clausit ostium post se, ideoque rei miraculum inspicere prohibuit fuit hominis aspectus. Praeclara haec Dominicae incarnationis, et difficultatis tanti mysterii figura fuit: siquidem clementissimus Deus nostrum dolens interitum, tanquam alter Eliseus hominem lethali peccati iclu demortuum excitaturus, cum ita sibi ad-

iuuxit, et univit, ut vere Deus homo, et homo Deus esse dicatur. Si autem perconteris, quomodo immensus poterit se contrahere, im-pensabilis subire passionem, aeternus temporibus subesse, et creator fieri creatura; ostium in tanti operis confectione a summo eius artifice clausum, et non modo homines, sed angelos, immo et sacratissimum Dei Matrem ab huius mysterii notitia exclusam respondebo. Quapropter beatissima Virgo illud non intelligens, angelum interrogat, dicens (*Luc. 1*): *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Angelus vero tanta Virginis interrogatione victus non audeo, nec sufficit respondere, sed interrogationis solutionem ad Spiritum sanctum remittens, inquit: *Spiritus sanctus supererit in te, et virtus Altissimi operabitur tibi*.

Secunda huius difficultatis imago fuit rubus, quem Moyses vidit ardentem, Deus enim ignis consumens est, et unius caro foenum: terno ergo stupet videns ignem in medio feni, non tamen illud comburentem: unde inquit: *Vadam, et videbo visionem hanc grandem, quare non comburatur rubus*. Sed Moyses recedere iubet Deus, atque: *Sole calcamenta de pedibus tuis*. Inarditum profecto urbanitatis genus, ac novus residentiae profecto arcanitas deponi fuisse, non aliquid quoniam reverentiam et honorem, sed ali-quod aliud occultis praesefere non dubito. Quod mihi se offert, huiusmodi est. Calcamentorum depositio in sacris literis significat inris alicuius renunciationem: unde sicut (*Deuter. c. 25*) legitimus, iusserat Deus, ut si quis nollet sui fratris absque liberis defuncti ducere uxorem, calcem unam illius ipsa solveret, quo signo facto tam bonis sui fratris, quam uxoris matrimonio renunsiasset iudicabatur. Hoc ritu usus fuit, qui virum, cui Ruth nuperat, propiore sanguinis gradu tangebatur, atequam ad nuptias Booz uxoris transiret, id quod dixi, significatur. Quoniam igitur homo subite natura est rationis compos, nullius rei ius sibi magis competit quam rationis, qua tanquam sibi maxime propria utitur ad res obscuras illustrandas, et intelligendas. Sed quoniam in illa amplii, et inscrutabilis mysterii cognitione, humilis et angusta est hominis intelligentia, praecipit Moysi Deus, ut calcamenta solvat, hoc est rationi humanae renunciet, et ab illius usu se abstineat in tanta rei investigatione, quippe non solum hominis mens explorare secretum, sed nec vestigia dignoscere potest. Haec ob rem Moyses, quavis prius audacter mysterium ardentis rubi visurus accedere voluerat, postquam fuit a Deo monitus, non curiose aspexit, sed reverenter clausit oculos, vultumque lexit, sicut scriptum est: *Abscondit Moyses faciem suam, et non videbat aspiceret contra Dominum*. Ab eo namque iam doctus quomodo in tanti mysterii contem-platione se gerere deberet, non audebat Deum nova nostrae mortalitatis veste circumdatum aperto humanae rationis lumine, sed clausis fidei oculis intueri.

Tertius tam ardui mysterii typus est visio

Isaia, videns Deum super thronum sedentem, ad cuius latera positi seraphim, alis caput Dei, et pedes velabant. Quem locum enodantes Hilarius (*adv. Arri.*), Hieronymus, Augustinus, et Cyrillus, aivunt visum tunc a Propheta Dei Filium circumdatum carne nostrae mortalitatis. Quae hinc refragatur explanationi repelito, qua ibi ter Sanctus conelamatur Deus, qua voce significari a Propheta videtur, sibi tres divinas apparuisse personas, immo id superiorem interpretationem magis roborat, et ostendit convenientiorem: nam sicut in Deo una est essentia cum tribus eiusdem naturae suppositis, ita in Christo unum est suppositum Verbi, et tres substantiae, videlicet natura divina, corpus humanum, et anima; quod angelici spiritus ab Isaia visi significare videntur, tria sacramentalis appellatione Dominum Sabaoth collaudantes. His ita praemisissis Verbum incarnatum alis seraphim velari nihil aliud erat, quam eius divinitatem abscondi, quoniam, ut dixit Paulus: *Christi caput est Deus*; pedum autem velatio, quae seraphim pansis alis fcebat, velamen erat assumptae a Deo humanitatis, qua tanquam pedibus inter filios hominum incedebat. Quo significatum nobis utrumque est, plurimum recondita, et obscura esse Christi mysteria, sive quae Dei, sive quae hominis sunt, meditemur. Unde illa verba Isaiae (c. 53): *Generationem eius quis enarrabit?* de generatione tunc aeterna, quam temporali sancti Patres intellexerunt, quoniam summam in utraque mens hominis experitur difficultatem: quam et Salomon ipse, qui sic reliquos mortales antecellit, ut attestante Scriptura (1. Reg. lib. 3): *Nemo ante illum similis fuerit, nec post eum futurus sit, vincere non valens, suam ita fatetur ignorantiam (Proverb. c. 30): Tria mihi difficulta sunt, et quartum penitus ignoro, via aquilae in caelo, via colubri super petram, via navis in medio maris, via viri in adolescentula*: sic non pauci iuxta Hebraeorum legunt. Sed ne intacta relinquam alia tria, quae Salomon sibi videri difficulta dicit, illa Christo breviter adaptabo. Aquila enim altivola et regia vere Christus est, qui sublimi divinitatis raptu in die Ascensionis ad Patris aeterni dexteram ascendit. Navis in medio maris est, siquidem pro nobis torrentem laborum pertransivit, et aquam intolerabilem. Serpens denique fuit, quoniam illo, ut olim serpens, in cruce pendente sanati fuimus a livore peccati, et eo a sepulchro vi divinitatis erumpente, vitam, et spem recuperavimus. Quae omnia quamvis sapientissimo Salomoni mirabilia, illud longe mirabilius videbatur, quo suam fatetur superari sapientiam, dum ait: *Et quartum penitus ignoro, viam viri in adolescentula*, id est, Dei Verbum intra Virginis uterum factum hominem. Non inficit, inquit Salomon, stupori mihi esse quod humano corpore Christus velletur in alta ascendat, quod beatus cum sit, labores et tormenta sustineat, et vitae auctor salutis largitor, mortem et sepulchrum subeat; illud tamen me summa defugit admiratione, quod intra Virginis uterum video immortalem Deum vestibus mortalitatis indutum: hoc enim sibi vult illud: *Viam viri in ado-*

*lescentula*. Quod si mihi obiciat, quomodo si tanta est praesentis arcani difficultas, gentibus innotuerit, quae solo naturae lumine ducebantur, certum enim est Sibyllarum versibus ante Christi adventum fuisse Incarnationis mysterium praenunciatum, facilis erit ex Lactantio Firmiano (*lib. 4. instit. c. 15. et 18*), et Clemente Alexandrino (*li. 6. Stro.*) responso, dicentibus, his gentium vultibus lecta fuisse nostrorum Propbetarum oracula, vel id Spiritu afflante divino noscere potuisse, ut sanctus Augustinus (*de Trin. lib. 10. cap. 16*) respondit circa ea, quae in libris Platonis invenerat de aeterna Filii generatione.

Quamvis autem, ut vidimus, tanta sit huius mysterii difficultas, et incomprehensa dignitas, non tamen ideo de illa silendum, quoniam ut ait s. Leo (*in Ser. de Assumpt.*): *Non recurdac, sed ingratue mentis indidivm est beneficia tacere divina*: quod ab Isaia videtur accepisse, dicente (c. 62): *Qui reminiscimini Dominum, non taceatis, neque detis silentium, et (in Sermonem de passione) idem Leo disertè et sapienter dixit: Ex eo quod ipsa materia infabilis est, fandi tribuit facultatem, nec potest descere quod dicitur, dum non potest satis esse quod dicitur*. Dignitas autem rei, et amplitudo, de qua dicendum est, praclaros oratores non terrere, sed allicere solet: nam licet in ea exornanda, vel explicanda illorum non praecellat eloquentia, in rebus tamen magnis voluisse sat est, ut cecinit Propertius: *Nec laudare carere debet honestus conatus, et non innumerum officii sui voluntas*; quippe ut Ovidius dixit:

Ut desint vires, lamea est laudanda volantes.

Vincat igitur metum zelus domus Dei, et solentur labore spes certa uberrimi fructus, qui ab huius mysterii cognitione potest expectari: vere namque ille, de quo dicere intendimus, ait, de se ac Patre loquens (*Ioan. 17*): *Haec est vita aeterna, ut cognoscat te, et quem misisti Jesum Christum*; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA II.

*De variis figuris, quibus olim Deus suscepturum se hominis naturam praesignaverat.*

Etsi tanta Dei sapientia, ac potentia est, ut ad egregiam, et pulchram imaginem efformandam opus non habeat, velut pictoribus consuetum est, quasdam linearem notas illam obscurè adumbrantes praemittit; complacuit tamen sibi divina providentia salutis nostrae studiosa aliquot uti praeludis, quibus id significavit, imagines, dignissimum notatu est, quod antiquissimus Tertullianus (*lib. de Resurr.*) commemorat simulacrum, aeternum nempe

Dei Filium, veluti in futuro incarnationis mysterio praeludentem humanam carnem antiquitus indidisse, non quidem veram, sed apparentem, qualem accipere angeli consueverunt. Unde non deest, qui explicans verba illa (*Proo. 8*): *Ludens in orbe terrarum, et delicias meae esse cum filiis hominum*, ita dicit intelligenda, ut Deus amictu vestitus humano inter filios hominum iucunde non semel apparerit: cui sententiae video multos cum ex sanctis Patribus, tum ex gravissimis theologis assentiri. Nam Eusebium allegans Eusebium, et Hippolytum Episcopum (*in exposit. Palm.*), Domino probatis me, censet, cum sacra Scriptura dicit, Adam audisse vocem Domini deambulantis ad auram, Dei fuisse in humana specie deambulationem. Hinc etiam Tertullianus loco citato scripsit verba illa (*Gen. 1*): *Facimus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, intelligi debere de animae, et corporis similitudine: Dens enim hominem formavit animam similem divinae naturae, quae purus est spiritus; corpus autem ad imaginem eius corporis non veri, sed apparentis, quod tunc Deus habebat. Ambrosius (*lib. 2. de fide cap. 4*) ait Abraham lavasse pedes non Deo Patri, sed Filio, et (*super Epistolam ad Colossenses*) patet Deum apparuisse Moysi in figura humana, vel in igne, et insuper in figura hominis fuisse locatum cum Abraham, quando ei, quod in caelo stellas fulgebant, daturum se filios promissit. Dionysius (*lib. 2. c. 4. de div. nom.*) angelum, qui iuctatus est cum Jacob, Verbum fuisse divinum existimat, quem vocavit Isaia magni consilii angelum; constat autem illum qui iuctabatur cum Jacob, in forma humana iuctatum fuisse: et (*in quaest. novi Testam.*) haec ipsa de re sic loquitur Augustinus: *Collectatus Jacob cum Salvatore Deum esse intellexit, quem specie corporis videbat*: cui sententiae Basilides (*lib. 2. advers. Eunom.*) suffragatur. Admiratione tamen dignus videri potest, idem fuisse probatum in Concilio Syrmioni in XIV. regula, ubi haec verba scribuntur: *Si quis contra Jacob non Filium tanquam hominem iuctatum esse, sed ingentium Deum, ac Patrem eius dixerit, anathema sit*: quod certe Concilium, etsi provinciale quidem fuerit, magne tamen esse debet auctoritatis. Quae sane Dei in carne nostra apparitiones singularem eius amorem erga nos, et nostrae salutis desiderium ardentissimum praeferebant: nam quemadmodum, qui aderat amant, rei absentis, et sibi charae simulacrum delectatur, ita Deus humani generis amantissimus imagine sponsae suae gaudere multo antea coepit, donec felicissimum nuptiarum dies illuxit. Quibus etiam imaginibus non solum Dei amor, ut dixi, sed nostra quoque fides mirifice iuvatur, et stabilitur, ut dum umbrae veritatem, et signum rei signatae convenire cernimus, divinis arcanis facilius, et promptius assentiamur. Sed ut ex Tertulliano (*lib. de Resurr.*) attigimus, iam inde a prima rerum omnium origine Dens specie, et imagine hominem accipiens praesignavit, homini a se creato spiritum vitae communicans, sicut scriptum est (*Gen. 2*): *Inspiravit in eum spiraculum vitae*: id enim fuit i-

mago divini Verbi nostram carnem accepturi virtute Spiritus sancti, qui Patris amor, et vitae spiritus est, ut Tertullianus tradidit per haec verba: *Ille iam tum imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed pignus*. Rupertus interpretans verba Genesios. *Facimus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, idem videtur comprobare, dum consilium inter divinas personas non solum super creatione hominis, sed super illius etiam instauratione habitum esse sic docet: *Magnam plane consilium de nobis peccatoribus habitum est, omnis nostra in medio causa posita est*, etc. quod Theodoretus, et Athanasius (*sup. Genes.*) asseverant. Id vero rationi esse valde consonum apparet: nam si actum inter divinas personas fuit de hominis reparatione ad vitam aeternam, consequenter etiam de mediis erit agendum, per quae homo illam consequeretur, cum inter humanae salutis remedia, humanitas a divino Verbo suscepta unicum, ac principem locum sortiatur. Huic suffragatur opinioni sanctus Leo Papa (*ser. 3. de pentecoste*), dicens, in illo colloquio divinarum personarum ad nostrum intelligendum notatu sibi divinas distribuisse personas nostrae reparationis ministerium, iuxta attributorum dignitatem, cuius verba sunt: *Dixit tibi opus nostrae reparationis misericordiae Trinitatis, ut Patre profiteretur, Filium propitiare, Spiritus sancti uniret*: quod superioribus Rupertus verbis consonat, dicens: *Magnam plane consilium de nobis peccatoribus habitum est*.

Id quoque nobis praedictum illis verbis (*Genes. 2*): *Erant duo in carne una*, et quod dixit Adam: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea*, de quo Paulus Apostolus (*ad Eph. 5*): *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et Ecclesia, ad quod sacramentum verba primi parentis: Hoc nunc os de ossibus meis, referabatur*. Habebat enim iam Adam futurae incarnationis, Deo revelante, notitiam ut sanctus Hieronymus (c. 5. *sup. epist. ad Ephes.*) animadvertit, in hunc modum: *Primus vates Adam hoc de Christo, et Ecclesia prophetauit*. Nam, etsi verum est, posse aliquid praedicti, quod tamen nesciat is qui prophetauit, sicut Gaiphae contigisse videmus dicens (*Ioan. 11*): *Expedit, ut unus moriatur homo pro populo, ubi quod non intelligebat, pronunciat, non tamen locum habet in Adamo, cum ad perfectionem gratiae, et innocentiae, qua ille fruebatur, omnino periret exacto intelligere, quod loqueretur*. Sanctus Thomas cum opinetur non peccante Adam divinum Verbum hominis naturam non suscepit, causam illius susceptionis fore suam ruinam, et peccatum ignorasse contendit, licet ille Deum esse futurum hominem divina revelatione cognosceret: non enim effectus cognitio causam ignorantis repugnat. Si ergo *magnam consilium*, quod ex Ruperto memoravimus, et *magnam Sacramentum*, quod ex Paulo voluitur, in unum conferantur, praecleara sibi responderet, et mirabili convenire contentu iudicabimus: non enim fieri potest, ut in operis executione magnum sit sacramentum, quin in eius praemeditatione etiam fuerit magnum, et mi-

rabile consilium. Quod per antonomasiam intelligi debet mysterium incarnationis in Filio, quem Isaias (c. 9), *Magni consilii angelum appellavit.*

Nunc iam reliquias huius sacramenti figuras proponamus, et explicemus: quarum prima sit obrietas patriarchae Noe, qui vitis nondum sibi notae vim expertus, hansto poculo deiectus ab imperio rationis, ante tabernaculi ostium nudus et indecorus corruit; quem videas Cham filius eius irrisit: Iaphet autem frater, ut bonum, ac prudentem deebat filium, arrepto pallio retrocedens, nudi patris membra contexit, et ab intuitum oculis eius averit ignominiam: unde propter opus tam pium caelitus fuit benedictus. Ebrietate profecto fuit turpior, et periciosior, primi parentis aversio, non a vite, sed a pomis proveniens; quem videas Cham solenter, et indebite, suggerente diabolo, *eritis sicut Dei*, sui creatoris similitudinem appellavit. At prohi dolor, sicut Noe post vini potum nudus iacuit, sic Adam post esum pomi, non solum corporis, sed animae bonis spoliatus proculbit: privatus enim fuit originali iustitia, et pretiosissima innocentiae veste nudatus: quam miseriam, et nuditatem agnoscentes dixit (*ibid.*): *Abscendi me, eo quod nudus essem.* Quo infelicissimo casu a tanto honoris culmine deturbatus, terrae coelique ludibrium, et irrisio fuit: ideoque tanquam cum subsannans Deus, et amentiam illius irridens, quod altiora se pensat, tam turpiter, et misere deiectus esset, de illo ironice loquens, inquit (*ibid.*): *Ecce Adam quasi unus ex nobis.* Dum igitur infelix homo tanta ignominiae expositus humi iaceret, calamitatem illius miseratus Deus, pallium accepit humanitatis, quo generis humani dedecus, turpitudinem, et nuditatem cooperuit. Nam sicut Iaphet retro incedens patris velavit nuditatem, sic ille quodammodo a sua divinitate retrogradus ad hominem accessit, et *senectusum*, ut ait Paulus (*ad Phil. 2*), *excarnavit, formam servi accipiens*, qui cum esset natura Dei Filius, voluit hominis esse servus, cum tamen hi retrogradi gressus tantum ab eius celsitate distarent, quantum ab humanitate divinitas.

Horum gressuum eximia fuit imago Ezechiae tempore a solito diei cursu sol revocatus, cum Deus optioni daret Ezechiae, vellet ne in signum augendae vitae, et solis umbra decem lineis ascenderet, an totidem gradibus ad ortum suum revertetur: Ita enim scriptum est (*1. Reg. 20*): *Vis ut ascendat umbra decem lineis, aut ut revertatur totidem gradibus?* Ille vero non progredi, sed reverti solem non sine mysterii excellenti significatione postulavit: quippe cum non minus fore mirabile, sive ascenderet sol, sive retrocederet, descensum tamen quam ascensum solis magis optavit, ut iuxta mysticæ theologiae auctores, iustitiae Solem, Verbum nempe divinum, ad salutem, et vitam hominibus dandam a sua divinitate ad nostram humanitatem descensum significaret, cuius aliquando, ut tandem in cruce pendente fulgentissima lux, et vitae spiritus a fulgore suae divinitatis retrocedens interposita mortis caligine obtenebresceret. Non uti-

que poterat Deus vel uno naturae gradu quantumvis minimo fieri altior, sive perfectior; unde non conveniebat, ut sol, qui eius tunc figura fuit, progrediretur, sed ut ad decimam lineam, per quam nostra significatur humanitas, eo quod post novem angelorum choros perfectior natura sit, reverteretur, et ideo id oportebat a rege postulari.

Nec alienum ab huius mysterii significatione est, quod narratur in Genesi de Abraham, cui Deus litteram unam ineffabilis sui nominis *Isac*, communicavit: nam cum prius vocaretur Abram, Deus voluit nominari Abraham, ubi additio litterae *He*, quae vivere significat, Filium innotuit aeternum, qui de semine Abraham erat postea nasciturus, ob idque Christum Abraham filium vocavit Matthaeus, cuius historia incipit: *Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham.* Declarata quoque eadem res fuit mutatione nominis Sarae uxoris: nam quemadmodum cum prius illa vocaretur Sarai, sublata prioris nominis littera, quae dictionem terminabat, pro illa substituta etiam fuit *He*, quae una est ex litteris, ut dixi, nominis Dei, et non amplius Sarai vocata fuit, sed *Saraha*: illa etiam ablata, seu impedito, non resultaret in humanitate suppositum creatum, illam terminans Deus; in creatam Verbi personam vice illius substituit, quae eandem naturam humanam ineffabilis quodam modo terminavit, atque illa expectatissima illa Dei, et hominis coniunctio in sola persona divini Verbi praerata fuit.

Cur vero praeremissum, quod de Iacob in sacris narratur eloquiis? hic enim caecus Iacobae matris vestibus sui fratris tectus, et hoc dorum pellibus manus operiens, a patre suo putatus Esau benedictionem subripuit: quo fuit, ut Augustinus (*lib. cont. Mendac. c. 10*) censet, Dei Filius figuratus, qui existens immortalis, et humanorum affectuum omnino expertus, sancto cooperante Spiritu, ex visceribus sanctissimae Virginis, se tanquam pellibus nostrae mortalitatis vestivit, factus in similitudinem peccati, qui Agnus erat innocentissimus, atque ab aeterno Patre benedictionem humano generi obtinuit, quam angeli ab innocentiae statu cadentes amiserant. Quamvis autem manus Esau esse viderent, vox tamen erat Iacob, quoniam quae oculis cernebatur in Christo, licet essent hominis, vox tamen Dei erat, non solum quia Christus Verbum, et vox Patris est, verum etiam, quoniam vox illa, qua ipse caecus illuminari, et mortuos excitari iubebat, omnipotentis Dei vox fuit, ideoque dicebatur: *potens opere, et sermone*, et quod loquebatur tanquam potestatem habens, et de illo etiam scriptum est, *Nunquam sic locutus est homo.*

Nec solum in hac subrepta per Iacobum benedictione divini Verbi humanitas significata fuit, sed alibi etiam, quando Mesopotamiam Iacob petens, superveniente nocte interceptus in agro manens, a labore itineris aliquantulum quiescere volens, lapidibus capiti suppositis, iuxta textus sacri tenorem (*Gen. 28*): *Tulit de lapidibus, qui iacebant, et supponens capiti suo dormivit in eodem loco: qui tamen a*

somno excitatus lapidem tulit, ut ibi legitur: *quem supposuerat.* Quomodo igitur, si de lapidibus tulit, qui iacebant, postea unum invenit lapidem? Respondeo cum Galatino (*de arcan. cathol. verit.*), quod ab Hebraeorum traditione desumpsit, lapides illos capiti Iacob suppositos fuisse in unum redactos, ut praesens ei revelaret mysterium, quo una Christi persona naturam humanam divini quoque complectitur. Considerandum etiam, sicut lapis, in quo obdormivit Iacob, oleo unctus fuit, sic Pater aeternus Christum lapidem angularem Spiritu sancto unxit, ut David scripsit (*Psal. 44*): *Unxit te Deus tuus oleo laetitiae praecursoribus tuis.*

Idem sacramentum dormienti adhuc Iacob Deus aperuit, ostendens scalam illam, quae a terra incipiens adeo sublimis exurgebat, ut pars superior attingeret coelum, ibique Deus consideret. Per hanc scalam sancti Patres Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Cyprianus Verbum carne vestitum; per scalae verticem Christi personam, quae coelum attingit; per inferiorem scalae partem humanitatem assumptam interpretantur. Ascendentes autem, et descendentes per eam angelos utriusque rei imagines fuisse aiunt: nam descendentes Dei Filium, qui descendit in terram; ascendentes angelici spiritus humanitatem ab eo in coelum ductam, suae nempe divinitati unitam declarant: *Verbum enim caro factum est.* Ad quod videtur alluisse Christus apud Ioannem (*cap. 1*) cum ait: *Tunc videbitis caelos apertos, et angelos ascendentes, et descendentes super Filium hominis.* Sed varias esse doctorum sententias, et Sanctorum opiniones invenio de tempore, quo hic ascensus mysticus, et descensus in Christo compleatur. Nam venerabilis Beda per angelos ascendentes, et descendentes intelligit Verbi Dei praedicatorum, qui sublime aliquid mysterium tractantes, stylo, et mente sublimia sapient; cum vero de humilioribus disserant, humiliori dicendi genere utuntur. Chrysostomus, Theophylactus, et Euthymius non de Christi corpore mystico, sed de ipso Christi corpore, hoc est de illius morte, et resurrectione intelligunt, quod ad eum orantem in hortu angelus descendit, et illo resurgente a mortuis, angeli duo visi fuerint. Cyrillus ascensionis, et baptismi Christi hanc patriarchae Iacob visionem accommodat, tunc enim coelis apertis Domino, et Servatori nostro Christo ministrarunt, iuxta quod scriptum est: *Et ecce angeli ministrabant ei.* Alii doctores in ultimo Christi adventu, quando maiestate, et horrore plenus mundum indicaturus adveniet, illum fore ascensum, et descensum angelorum existimant. Tunc enim iudicis exercendi minister, futuros praesto angelos aiunt Domino suo, et supremo omnium iudici obsequium, et operam exhibentes, more servorum fidelium, ac diligentium, qui suo hero placere satagentes, sursum, ac deorsum cursitare solent. Divus Augustinus nonnulla ex his commemorat (*enarrat. in Psalm. 44*) his verbis: *Angeli Dei ascendunt, et descendunt per scalas illas, sicut hoc in Ecclesia. Angeli Dei annuntiatores sunt veritatis, ascendunt, et vident, in principio erat*

*Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: descendunt, et vident, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: ascendunt, et erigunt magnos, descendunt, ut nutriant paucos. Vale ascendentem Paulum; sive mente excedimus, Deo. Vide descendente: Sapientiam loquimur inter perfectos. Vide descendente, lac vobis potum dedi, non escam. Vide descendente, ascendunt, et descendunt angeli Dei, super Filium hominis, quia sursum est Filius hominis, ad quem ascendunt corde, id est caput eius, et deorsum Filius hominis, id est corpus eius, membra eius hic sunt, caput sursum est: ascenditur ad caput, descenditur ad membra, Christus ibi, Christus hic.*

Est et aliud huius rei simulacrum, ignea scilicet columna, ut Augustinus (*1. 12 c. 9 contra Faustum*) interpretatur, ubi prius advertendum est, etsi Moyses videatur capite decimo tertio significare, duas fuisse columnas Israelitis per desertum iter agendis praecedentes, unam nubis, quae per diem, et alteram ignis, quae nocte coruscabat, sicut scriptum est (*Exod. 13*): *Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem;* in capite decimo quarto de una tantum columna mentionem facit, quam ibi vocat columnam ignis, et nubis, quae quidem columna nubis per diem ab Israelitis opaco tegmine solis aestum arcebat, noctem autem, tanquam accensa fax in tenebris praefulgebat. Quae nube, ut quidam opinantur, angelus latebat, cui populi per desertam vagantis tutela, et custodia commissa fuerat. Alii non angelum, sed Deum ipsum nube inclumens praevivisse tanquam ducem, et rectorem Israelitarum existimant, quod ex verbis ibidem positus videtur inferri: *Respiciens Dominus per columnam, etc.* Quae sententia proposito nostro convenior est, siquidem, ut sentit Augustinus loco iam allegato, columna illa una, cum esset duplici ignis, et nubis natura conflata, egressa figura Christi fuit, qui mundi lux existens igne splendens divinitatis, et opaca nube nostrae humanitatis compositus, non duae personae, sed una est. Unde congrue dixit idem Augustinus: *Christus nobis per noctem lucens, per diem non lucens, ut qui non vident, vident, et qui vident, caeci fiunt.* Verum ut opportunitas, et proprietates micantis columnae ad Christum significandum magis appareat, lubet in medium afferre, quod Procopius Gazaeus advertit, qui columnam illam dixit tria Israelitis praestitisse, videlicet publicum decus, praesidium tutum, et iter certum, ac securum. Honor quidem inde apparet, quod eius ductu singulariter sibi esse populi, quod curam Deus significaverit, quo cum tam amanter, et benedice supra reliquias nationes agebat. Auxilium esse ac praesidium testatus est David, cum ait (*Psal. 104*): *Expandit nubem in protectionem eorum.* Ac propterea, cum Egyptiorum impetum fugientes ad maris litora pervenissent, nubes quae praeverat, in medio illorum constitit, et Israelitis lucem praebens, Aegyptios tenebris offundebat, ut ibidem narratur (*Exod. 14*): *Erat nubes tenebrosa, et illuminans nocte: tenebrosa quidem, et obscura Aegyptiis, splen-*

didā vero, atque coruscā Israelitis. Narratū adingit Moyses, Denn interfecisse eorum exercitum: *Respiciens, inquit, Dominus per columnam interfecit exercitum eorum.* Quare columna illa praesidium Israelī verissime fuit, si quidem ab ea tanquam ab arce inexpugnabili Deus adversus hostes populi sui tela coniciens, Israelitas tutatus est. Ducem itineris eis fuisse, nemo inficiabitur, maxime cum legat in eadem Scriptura: Praecedebat eos ad ostendendam viam, non solum tanquam lux, sed tanquam gubernatrix itineris: nam ubi cessandum foret, subsistebat, ubi pergendum, pergebat. Quae omnia nobis indicant amplitudinem beneficiorum, quae a Deo homine accepimus: ille enim est nostris honor, nostra defensio, et gloria, quoniam per illum Pater aeternus nos quantumvis indignos suorum numero filiorum adscripsit: *Misit enim Deus Filium suum, ut adoptionem filiorum acciperemus.* Cuius beneficium, et adoptionis tanta est dignitas, ut post Filii aeterni, et Deo Patri naturalis excellentiam, haec secunda censeatur. Defensio nostra iure dicitur, qui prae nimio in nos zelo, et incendio charitatis se comparat gallinae, dicens (*Luc. 13*): *Quoties volui congregare vos sub alas, sicut gallina congregat pullos suos?* Nam sicut gallina mitis quidem naturae cum sit, adversus milvum pullis suis inhiantem furere solet; ita Christus indignatur, et irascitur adversus commune humani generis hostem, oves gregis sui invadentem, felici praedestinationis signo notatas, quas ille sibi a nemine rapiendas ita testatus est (*Ioan. 10*): *Nemo rapit eas de manu mea.* Est tandem Christus rector noster, et unica lux, quippe tanquam columna illa Aegyptiorum pandens iter ante eos viam nobis indicat, et iter praemunit ad felicitatem sempiternam.

Deinde memoratu dignissimum est, datum a Deo quondam manna, per quod eadem Verbi incarnatio, ac singularis eius benignitas praesignata fuit. Nam si populus Israel, ut (*in Ex. 13*) narratur, viso manna stupebat, et multo percontabantur: *Quid est hoc?* ignorabant enim quid esset; quod nobis datum est multo dulcius, et excellentius manna, non solum terra, sed coelum miratur, et prima omnium Virgo sacratissima admiratione affecta, quasi dicens, *quid est hoc?* angelum interrogat, *quomodo fiet istud?* Manna omne delectamentum ciborum Israelitico populo referebat, et illo exhibendo angelorum ministerio Deus usus est; ita etiam daturus hominibus panem angelorum, misit ad Virginem tanquam nuptiarum suarum paranympum Gabrielem, sicut Evangelista narrat (*Luc. 1*): *Missus est angelus Gabriel ad Mariam virginem.* Quod si olim cadens a coelo manna ros praecedebat, tegebatque terram, ut in locum purum, ac mundum descenderet; sanctissimae Virginis uterus purissimus, quem implere debebat manna, Christus virtute Spiritus sancti praeparatus, et rore foecundatus fuit, iuxta quod Virgini fuerat promissum (*ibid.*): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Manna illud non populo frequenti, sed in deserta solitudine labeatur,

ut scriptum est, *Apparuit in solitudine*, similiter divinum Verbum ad Virginem, cum sola esset sine comite, quae nemo virorum videret, descendit, ut dixit Ambrosius (*sup. Luc.*). Quin etiam vere dicitur apparere in solitudine, qui sine ullo humani patris consortio, sola matre gignitur: quod egregie videtur confirmare Isaias, qui divino afflatus lumine de huius solitudinis gaudio, et beneficio ita praedixit (*Isai. 35*): *Exultavit solitudo, et exultavit quasi litivum.* Nec solum in solitudine manna, sed in fragmenta concisum, et comminutum apparebat. *Et Verbum Patris intra Virginis matris alvum ita parvulus factus est, ut humano visui vix subiceretur:* quae verba sunt Magistri sententiarum. Praeterea si manna Israelī datum in similitudinem prunae super terram decidebat; Dei quoque Filius, quoad temporis, et loci rationem, id etiam praestitit: nam sicut pruna noctu in terram labitur, ita ille silentio nocte a regalibus coeli sedibus in terram delapsus est, sicut legitur (*Sap. 18*): *Dum medium silentium tenebat omnia, et nox in suo cursu medium iter paraverat, omnipotens sermo tuus Domine de regalibus sedibus venit.* Et sicut pruna non super montium culmina, quae ventorum flatibus agitantur, ut scribit Aristoteles (*lib. 1. Meth.*), sed in convales, et loca terrae humilliora cadit; sic manna aeternum non super montium sublimitatem, id est angelorum naturam, sed super mortalium humilitatem descendit, secundum quod scriptum est (*ad Heb. 2*): *Nunquam angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit.*

Celebris non minus est apud Ecclesiae Patres Elisei figura, puerum vitam restituit; verum quoniam in homilia superiori hac ipsa de re nonnulla commemoravi, Augustini tantum verba referam, quibus id acute, et docte interpretatur: ait enim (*serm. 206*): *Puer Elisei, id est famulus, typum habuit Moyses; misit enim Moyses Deus cum baculo in Aegyptum, sed baculus sine Christo flagellare Aegyptum potuit, de peccato vero liberare, vel resuscitare non potuit. Opus ergo erat, ut qui baculum miserat, ipse descenderet: baculus sine Christo nihil poterat: inclinavit se Eliseus, ut puerum resuscitaret, humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis iacentem erigeret. Videte quantum se vir ille perfectus aetatis contraxit, ut parvulo mortuo iacenti congruere; quia parvuli eramus, parvulum se fecit; haec tenet Augustinus.*

Regum quoque narrat historia, dum homo quidam ligna caederet in silva, ab hastili securis ferrum excussum decidisse in Iordanem, quod ut ab undis extraheret, rogabat Eliseum, eius opem implorans, quippe non aliter securis domino poterat satisfacere: quem Eliseus misertus acceptum hastile in Iordanis undas proiecit, cui prolious ab aquis emergens ferrum adhaesit. Hoc doctores aliqui de humana natura interpretantur, quae amittens pretiosam gratiae margaritam, per quam Deo unitur, cum non esset solvendo, nec viribus suis recuperare possit, quod amiserat, ad Deum confugit olim per Prophetas, ac Patres nostros, pro tantae iacturae remedio clamantes, quam exaudies misericordiarum Pater misit Filium

sum, qui a profundo miseriarum erueret demeritum hominem, ut illa Dei, et hominis conjunctione, tanquam fortissima securi veteris draconis, omnia devastantis caput amputaret. Non ignoro posse id etiam de Christi resurrectione declarari: nam divisio hastilis, et ferri separationem corporis, et animae in Christo futuram significabat, ideoque humana natura per mortem haec duo in Christo divisa rursus uniri flagitabat: nam, ut dixit Paulus (*1. Cor. 15*): *Nisi Christus resurrexisset, inanis esset spes nostra.*

Magnum etiam ille Gregorius (*in mor. sup. lib. Iob*), ad incarnationis mysterium praenotandum, Iob nobis singulare patientiae proponit exemplum, dum suorum ulcerum saniem testae fragmento terebat, ut ait Scriptura (*Iob 2*): *Testa saniem terebat.* Cur vero Iob potius nititur testa ad terendam plagarum saniem, quae magis exasperare, quam lenire dolorem poterat? Gregorius respondet, testam illam fuisse figuram Christi, qui nostram suscipiens humanitatem, peccatorum nostrorum saniem, et virus erat deterens: nam sicut testa illa ex elementis terrae, et ignis constabat, ita Christus ex igne divinitatis, et terra humanitatis per Spiritum sancti virtutem compositus fuit; quod patientissimus ille Dei servus Iob in spiritu praesciens, non quidem asperam, sed lyso mitiorem testam experiebat, qua libenter, et suaviter, ab eius usu nunquam abstinens, sui corporis plagas fovebat, doloresque placabat.

Typus fuit etiam eiusdem mysterii angelus, quem vidit Zacharias dicentem (*Zach. 10*): *Domine exercituum usquequo tu non miseraberis Hierusalem, et urbem Iuda, quibus iratus es?* cui Dominus respondit, ut ibidem dicitur, *verba consolatoria*, statimque ostendit ei virum, qui velociter equum ascendebat purpureum, quem alii equi sequebantur, partim similiter rubri, partim candidi, ceteri diverso colore conspersi. Hunc locum Hieronymus, Ambrosius (*lib. de fide res.*), et Rupertus exponentes, de assumptione humanae carnis intelligendum affirmant. Quoniam vox angeli misericordiam a Domino exercituum postulantis, et dicentis: *Usquequo non miseraberis Hierusalem?* optime significat voces, atque clamores Patrum antiquorum, quibus a Deo desideratum cunctis gentibus Iesum Christum flagitabant, dicentes (*Exod. 4*): *Mitte quem misurus es.* Quamvis autem verbi consolatorius Deus illos delinere, interdum clamantibus respondens: *Adhuc unum medium est, et veniet desideratus cunctis gentibus:* interdum ita eos recreans: *Veniens veniet, et non tardabit:* cum tamen venit plenitudo temporis, illorum desideria complevit. Sed ut ad figuram propositam revertar, vir ille, qui equo insedit, Filius Dei fuit, qui indomtam hominis naturam sibi subiecit, illam divinitatis personae supponens, ut nimiris praeventia regeretur, et rationis freno parere doceretur. Qua similitudine usus est Ioannes (*in Apocalypsi*), narrans visum sibi equum album; qui ab eo, quem Zacharias vidit, colore tantum differt, non tamen sine mysterio. Nam ille Zachariae visus Christi humanitatem proprio

sanguine conspersam, et a cruce pendentem; hic, quem Ioannes aspexit, eandem iam de morte triumphantem significat. Tria equorum genera, qui purpureum sequebantur, triplicem nobis Sanctorum indicant differentiam: nam equi rubentes sunt Christi martyres, qui proprium sanguinem pro eius amore fuderunt. Candidi equi sunt virginis floris gaudentes, qui degentes in terris puritatem colere coelestem. Equi tandem utroque colore disincti sunt, qui virginitatis, et martyrii gloriam obtinuerunt.

Sed ut iam praesenti Homiliae ultimam manum imponam, quod ab Ezechielo narratum, referam, et explicabo. Vidit enim ille Deum, quasi speciem electri; id vero optima est divini Verbi humanitate induti similitudo: nam missa facies diversa electri genera, quae referunt Angles, electri vulgo noti ea natura est, ut pateas a terra sublevari, sicut experientia docet, et refert Isidorus. Quod egregie convenit Dei Filio, qui hominem in pulvere miseriarum faciem ad summam omnium dignitatem, sibi eius unius naturam sublevavit; unde vere de hac re scriptum est (*Psalm. 112*): *De pulvere erigens pauperem,* qui cum a Iob *stipula sicca* vocetur, multo melius hanc electri proprietatem Christo posse adaptari cognoscere. Electrum autem, quod Isidorus, et Angles in locis hinc citatis, nec non Gregorius, et glossa ordinaria (*super cap. 1. Ezech.*), ex auro, et argento ita confari dicunt, quod et Plinius (*lib. 33. c. 4*) scripsit, ut licet argentum societate auri reddatur melius, aurumque argenti commixtione minus effulget, suam tamen utriusque naturam retineat, et proprietates conservet, ut eisdem placet auctoribus: ad vivum sane hoc artificiosum electrum Christum Dominum refert, quippe qui ex purissimo divinae personae auro, et ex argenteo spectatissimo humanitatis componitur: et sicut argentum auri confusione nobilitatur, auro ipso sumo dissimilante fulgorem, sic in Christo humana natura melior, et nobilior facta est, Deusque propter acceptam humanitatem suae divinitatis splendorem absque ulla utriusque naturae confusione cohibuit. Non enim minuitur divinitas nostrae assumptione naturae, nec humanitas assumptae divinitatis accessu consumitur aut minuitur: manent cuique libera proprietatum iura, licet Dei sit immortalis natura, hominis vero caduca; illa dolorum, et affectuum experta, haec omnibus obnoxia calamitatibus; illa perpetuo gaudent, haec doleat, et contristetur; illa denique immensa, inaccessa, et incomprehensa, haec limitibus circumscripta, humilis, et abiecta sit. Itaque sicut in hominis formatione, arboris insitione, candenti ferri lamina, et ardenti rubo, quae res ab Ecclesiae Patribus solent pro huius declaratione mysterii proponi, nulla est naturarum confusio, sed utraque manet natura, videlicet anima, et corpus in homine, uterque fructus in arbore, ferrum, et ignis in lamina, et in rubo ardenti viror, et flamma; sic in Christo divinitas, et humanitas, sine aliquo illius detrimento, vel huius incommodo reperitur. Quod ita credendum esse Conci-

Hum primum Ephesinum, Chalcedonense in secunda definitione de fide, Lateranense sub Innocentio III. et constat (*ex c. firmiter de summa Trin. et fide cat.*), nec non Florentinum Concilium in literis unionis definitur. Cui sententiae omnes Ecclesiae Patres, et catholici tractatores unanimes suffragati sunt, quos inter, haec sunt verba Gregorii: *Verbum carnem dicens factum, non immutando, quod erat, sed suscipiendo quod non erat, nostra auxit, sua non minuit.* Augustinus (*ser. 27. de Tr.*) inquit: *Ita magnus in forma Dei, brevis in forma servi, ut neque ista brevitate magnitudo illa minueretur, nec illa magnitudine brevitatis illa premeretur.* Sanctus Leo pluribus in locis id docens ad hunc modum (*in serm. de Trin.*) loquitur: *Nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio.* Verum elegantissima, et eruditissima Leonis illa sunt verba: *Salva proprietate utriusque substantiae, et in unam coeunte personam suscipitur a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, et ob aeternitatem mortalitas: et in sermone tertio): Sicut forma servi formam Dei non admittit, ita formam Dei forma servi non minuit.* Basilii denique (*in hom. de nativ.*) ardentis ferri induta similitudine inquit: *Ferrum nigrum, et frigidum quidem est, et quamvis ex igne splendens, tamen sua nigredine ignem non inficit, et dum ardet, sua frigiditate flammam non destruit.* Tandem ut ad id, quod praedicti Doctores de electri natura dicunt, revertamur, his, quae haecenus dixere, addunt Isidorus, et alii, electri naturam veneno tam esse contrariam, ut illo praesente continuo strepat, ac veluti effervescat contra illud, quod a Christo factum certissimum in morte Lazari, ubi peccati damna aetior vitae contemplatus indoluit, et ut scribit Ioannes (c. 11): *Infrenuit spiritus, et tubavit senectipsum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

## HOMILIA III.

*Onare Deus naturam sibi induerit humanam, et cur potius Filium, quam Patrem, aut Spiritus sanctus illam accepserit, explicatur.*

Cum variis signis apud antiquos vis, et potestas amoris significata fuerit, singulare est, quo ille spicas, et flores una manu, et altera piscem tenens pingebatur, ut inde quiddam terrarum limilibus, aut maris litoribus clauderet, amori tributum pendere, et illius imperio servire cognosceremus. Sed angusta haec eius ditio, et nimis brevis circumscripta limilibus potentia fuit, cum illam adeo late patere noscamus, ut non solum terrae marique leges imponat, sed ipsi quoque coelo tantum imperet tributum, ut ex tribus, quae in Deo sunt personis, unam sibi dari praecipiat. Quod cumulate ob ingentem in hominum genus amorem a Deo praestitum esse, Ioannes

Evangelista his verbis memorat: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* Et licet Deus posset nostrae subvenire calamitati, angelum mittens, penes quem esset tanquam legalum facultas remittendi peccata, noluit tamen divina benignitas ab alio, quam a se ipso id fieri, ut ipse nos redimeret, qui creaverat. Unde sunt verba Isaiae (c. 63): *Non legatus, neque angelus, sed ipse salvavit nos.* Cuius beneficii amplitudinem miratus Ioannes Damascenus (*orat. de nativ.*) inquit: *Tantus Domine in me tuus amor fuit, ut non per angelos, aut aliam creaturam salutis meae negotium obieris, verum ut primam sectionem, sic etiam instaurationem ipsemet efficiendam duxeris.*

Causas vero, ob quas Deus per se ipsum nostris succurrere miseris voluit, personam suam humanae naturae supponens, varias, et lectu dignissimas sancti Patres, atque Doctores assignant. Athanasius explicans illa Christi verba: *Omnia tradita sunt mihi a Patre meo, convenientissimum fuisse ait, ut quae manus hominem de limo terrae formaverat, sicut lob (c. 10) dicit: Manus tuae fecerunt me, et plasma-verunt me: ipsa quoque iam creatum, a peccato, et morte perpetua per medium redemptionis liberaret: verba Athanasii sunt: Dedit omnia in manus eius Pater, ut quemadmodum per eum facta sunt, ita in eo omnia restituerent. (*Serm. quoque adv. Ayr.*) idem eleganter et erudite docet, hominum redemptorem alium praeter Deum esse nequaquam convenisse, ne supremus ille cultus, qui summo humani generis instauratori debetur, alicui quantumvis excelsae creaturae deferretur: *Merum, inquit, hominem id facere indecorum erat, ne homines habentes Dominum, hominis cultores efficerentur.* Ex Latinis autem Patribus Augustinus (*tractat. 8*) diversis in locis varias adducit rationes, sed (*in tractatu super Ioannem*) ait, Deum ideo humanam suscepisse naturam, quod conveniens fuerit eiusdem naturae esse vitem, cuius sunt palmites, vel ut theologi loquuntur, quod oportuerit hominibus dari caput homogeneum, id est eiusdem speciei, quod ille his verbis exprimit: *Unius naturae sunt vitis, et palmites: cum ergo esset Deus, cuius naturae non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cuius nos palmites esse possumus.* Huius rationem aliam adstruit Augustinus (*in Enchirid.*) dicens: *Propter hominem factus est homo, ut uterque sensus hominis in ipso beneficiaretur, et reficeretur oculus cordis in eius divinitate, et oculus corporis in eius humanitate.* Paulo post idem ait Deum factum hominem, ut ad amorem Dei homo facilius exaltaretur, cum naturae similitudine amorem conciliare soleat. *Ut familiaris, inquit, diligeretur ab homine Deus, in similitudine hominis Deus apparuit, et (sup. Psal. 35): Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dignaretur sequi vestigia Dei.* Sanctus Thomas (*3. p. q. 3. art. 3*), Deum humanitate vestitum censet, ut infinitam bonitatem suam declararet: nam cum bonitatis sit proprium se alteri communicare nullum maius esse poterat illius bonitatis argumentum, vel manifestus iudicium, quam summa naturae suae communicatio, quam per*

nostrae carnis assumptionem exhibuit: *Pertinet, inquit Thomas, ad rationem boni, ut se alius communit; unde ad rationem summi boni pertinet, quod summo modo se communit; hoc autem factum est per hoc, quod naturam sibi adiunxit. Nec solum a Dei bonitate, sed ab eius etiam summo amore incarnationis fluxisse beneficium scribit Thomas, quod ab Augustino desumptum ita commemorat: Quae maior est causa adventus Domini, nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis? Elegans, et erudita Ioannis Damasceni ratio est, dicentis, Deum quod unitatis sit amantissimus, sapienter voluisse naturam sibi coniungere humanam, in qua tanquam omnium rerum creaturarum compendio quiddam in mundo est, invenitur: sicut dixit Gregorius (*homil. de Ascens.*): *Omni creaturae aliquid habet homo: verba Damasceni sunt: Creatoris, ac gubernatoris voluntas hoc tulit, ut unigenito, et consubstantiali filio suo divinitatis, atque humanitatis, ac per eum conditarum omnium rerum connexio fieret, ut sit Deus omnia in omnibus; quod Pauli (ad Ephesios cap. 1) haec verba manifeste docent, Instaurare omnia in Christo: in cuius loci expositione S. Hieronymus ex Graecae vocis proprietate, quae Latino verbo instaurare respondet, interpretatur recapitulare, quo verbo, cum omnia in Christo congesta, et in unum concluda declaratur, patet Deum personae suae, ut advertit Irenaeus (*lib. 4. c. 18*), assumptione nostrae carnis, quiddam creatum in coelo, et in terra est, univisse: ideo enim homo a Graecis microcosmos, idest parvus mundus nuncupatus fuit. Aliam incarnationis causam sanctus Leo Papa praedictis adiungit, ne videlicet quartus productionis, et generationis modus ad universalitatis perfectionem desideraretur. Primum enim modus generationis fuit, quo Deus hominem ex limo terrae formavit. Secundus, quo mulierem sine hominis consortio de coela compexit. Tertius ex homine, et muliere, quo universa hominum fit propagatio. Quartus igitur modus excellentior cum deesset, hominis ex muliere sine alterius hominis accessu productio, ut generationum perfectio completeret, Deus factus homo est, ne aliquid perfectionis in eius operibus deesse posse videretur: scriptum est enim (*Deut. 32*): *Dei perfecta sunt opera.* Praeterea ipsa humani generis redemptio, in Deo fieret homo, imperfecta esset: nam licet Augustinus (*lib. 10. de Trin. et lib. de Ag. Christi*), eos stultos appellet, qui sentiant hominem induisset. *Stulti, inquit, sunt, qui dicunt, non poterat aliter sapienter Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem, debet intelligi de redemptione imperfecta.* Nam, si de perfecta loquamur, non poterat Deus iuxta suae iustitiae integritatem restaurare genus humanum, nisi unione hypostatica hominis naturam sibi coniungeret, quemadmodum sancti Patres communiter arbitrantur. Ex quibus Anselmus (*in lib. cuius inscribitur, Cur Deus homo*) id docet his verbis: *Satisfactionem neque poterat facere nisi Deus, neque debet nisi homo; necesse est ergo eam faciat Deus homo.* Ambrosius (*in Lucam*) idem**

tenet in hunc modum: *Nullus homo tanti esse potuit, qui totius peccata deleret mundi.* Basilii explicans versiculum Davidis: *Frater non redimit, redimet homo, inquit: Non homo nudus, sed homo Deus Iesus Christus, quia nullus altius poterat condignum offerre pretium.* Quam sententiam Leonis Papae verba confirmant, (*in serm. de Trin.*): *Si non esset Deus, non afferret remedium.* Cuius assertionis, et veritatis illud est fundamentum, iuxta theologorum doctrinam, quod perfecta satisfactio, qualem Christus Patri suo pro nobis exhibuit, postulabat ex natura sua infinitam in ipso satisfaciende dignitatem, ut ab eo pretium suis operibus communicaretur infinitum, et par debito fieret satisfactio. Unde necesse omnino erat, ut ad id praestandum aliqua persona hominis, vel angeli naturam indueret.

Haecenus causas incarnationis, nunc reliquam est, quam ob rem Filium potius, quam Patrem, vel Spiritus sanctus id opus agendum suscepit, discutiamus. Sed, antequam id examinetur, statuendum est, tanquam catholicae fidei verissimum dogma, solam Filii personam in terras descendisse, ut particeps nostrae fieret humanitatis. Ad quod decidendum, coactum adversus haereticos Patripassianos Concilium fuit, qui non ab una, sed a tribus divinis personis hominis suscepam fuisse naturam delirabant, ut Socrates memoravit. Horum stultissimam, et impiam blasphemiam ortam suo tempore scribit Anselmus, et Concilio Rhemensis fuisse damnatam, quam pariter Quinta Synodus, et capitulum *Firmiler, de summa Trinitate, et fide Catholica* condemnavit. Huius erroris duo erant fundamenta, quae ut labefacta remaneant, breviter referam. Primum est, quod, ut docet Augustinus (*in Enchirid. c. 38*), et vulgatum theologorum axioma suadet, opera Trinitatis ad extra sunt indivisa; sed cum incarnationis opus sit extra divinam naturam, necessarium erat, ut omnibus tribus eiusdem naturae suppositis commune haberetur. Respondet s. Thomas (*3. p. q. 3. ar. 4*), dupliciter incarnationem accipi posse, nempe pro ipso incarnationis opere, et actione, quae sublimis illud, et occultum mysterium factum fuit: tunc verissimum est humanitatis nostrae assumptionem, non solum ad unam, sed ad alias duas pertinuisse personas, quoniam tam Pater, quam Filius, et Spiritus sanctus, eius operis causa extiterunt. Aliter etiam accipitur pro termino, et fine actionis, pro ipsa videlicet hypostatica unione, in qua formaliter incarnatio consistit: quo sensu non fuit tribus divinis personis communis, sed tantum ad secundam personam, idest Filium, pertinuit. Quod aetate sancti Dionysius (*de div. nomin.*) his verbis docuit: *Mysterium incarnationis pertinet ad theologiam discretam.* Quae verba ut facilius intelligantur, notare iuvat, theologiam a Dionysio ibi vocari discretam metaphoricè, sumpta similitudine a quantitate, quam Philosophus (*6. Phys.*) in continuam partitur alque discretam: continua punctum habet utriusque partem commune, at discreta illo caret; ideoque multas in quantitate continua, et pluralitas in ea, quae discreta est, efflucit. Unde ut significaret Dio-